Orationes ecclesiasticae.

D. Thomas

Friedenfels Amandi: Divus Thomas Doctor angelicus assimilatus monetae probatae publicae —

Vetero-Pragae.

typis archiep. Semin. per Georg. Samuelem Beringer. 1699.




Thoma Bene scripsisti de me
Approbat hunc Nummum Divino Lemmate Christus
Sapientia - et Pietate -


Approbat hunc Nummum proprio Diplomate Cæsar
Armis et Carmini
ROBORE ET INGENIO

DIVUS THOMAS DOCTOR ANGELICUS

Aſſimilatus

MONETÆ PROBATÆ PUBLICÆ

Geneſis 23.

&

Sermone Panegyrico Concelebratus.

In Templo S. ÆGIDIJ Sac. Ord. Prædicatorum Vetero-Pragæ.

à

R.P. AMANDO FRIEDENFELS, Sac. Ord. Præmonſtr: Regiæ Eccleſiæ Strahovienſis in Monte Sion Canonico, Philoſ: & SS. Theologiæ Profeſſore, nec non Collegij S. NORBERTI Vetero-Pragæ Vice RECTORE.

M. Martini Oſlinski.

Anno quo

SeqVens teXtVs VerVs eſſe LegItVr:
peCVnIæ obeDIVnt oMnIa Eccl: 10.

VETERO-PRAGÆ,
Typis Archi-Epiſcopalis Seminarij, in Collegio S. NORBERTI, per Georgium Samuelem Beringer, Anno 1699.

Illustrissimo, ac Excellentissimo Domino Domino

FRANCISCO ANTONIO

S. R. I. Comiti

DE SPORK,

Domino in Lissa, Gradlitz, Maleschovv, & Konoged &c. S. C. M Intimo Consiliario, Camerario, Regioque in Bohemia Locumtenenti.

Domino ac Patrono Munificentissimo.

Hanc monetam submississimè præsentat,
Devinctissimum Studium Generale Ord. Præd. Ad S. Ægidium Vetero-Pragæ.

SUscipe Thomæum Comes Illustrissime Nummum,
Quem veris Christus laudibus ipse probat.
Es pariter Nummus magna cum laude probatus,
Nam Te Romani Cæsaris Aula probat.
Strenuus æquavit Genitor Tuus Herculis acta:
A Spork Hydra ferox Turcica victa fuit.
Cæsaris es Magni Tu Consiliarius, & Te
Vt Regni Procerem Czechica terra colit.
Te facit ingenium, nec non sapientia Magnum,
Non æquat pretium parva moneta Tuum.
In Te nil parvi cùm sit, sed singula magna,
Te Magnum Nummum dicere quisque potest,



ORATIO.



ST! Silentium! A. O. Regina Pecunia loquitur, ad quam cùm totus Mundus reſpiciat, in magno habenda eſt reſpectu.

Nummus honoratur ſinè nummis nullus amatur
Nummus ubi loquitur, Tullius ipſe tacet.

Tinnientis pecuniæ reſonantia, raucos efficit facundiſſimos Oratores; quia teſte Doctiſſimo Alano *Ubi nummus loquitur, Tulliani eloquij tuba rauceſcit.* Et quis audebit loquente pecunia hiſcere? Parcendum igitur eſt linguis, & pecuniâ loquente, aperiendæ ſunt aures ac marſupia. *Aures* cum *auro* magnam habent ſympathiam. Aures delectantur *aureis verbis*, aures avidiſſimè audiunt, quando promittuntur *montes aurei*, & ipſe aurifluus torrens eloquentiæ Chryſoſtomus tam acceptus auribus Orator non fuiſſet, niſi *aureum os* habuiſſet. Pecuniam non tantùm audiunt, ſed etiam exaudiunt omnia. Imò majus quid ſacer textus pronunciat: *Pecuniæ obediunt omnia.* Verè cæca hæc eſt obedientia, quæ per *munera excæcat oculos ſapientum*. O! quàm multi ſunt, talis obedientiæ voto obſtricti, quibus nihil magis in votis eſt, niſi pecuniæ obedire. O! quàm copioſi reperiuntur aureæ obedientiæ filij! qui pro Numinibus Tutelaribus colunt ex Italia *Iulios* & *Paulos*, ex Gallijs *aure-*

de conqueſt. nat.

Eccl. 10.
Deut. 6.

os

nomina mo-*os Ludovicos*, ex Hispanijs *Philippos*, ex Anglia *Jacobos*, & tunc se pri-
netarum. mam Maij festivitatem celebrare existimant, quando illis præ manibus sunt multi *Philippi* & *Jacobi*, sibique vernum tempus tunc arridere credunt, quando in illorum cistis, & scrinijs *aurea* florent *lilia*, hoc enim tempore *vivunt in floribus*. Sic est! *Pecuniæ obediunt omnia.* Habet potentiam obedientialem valde activam, & vix non dicerem, quandam Omnipotentiam. Potentius igitur argumentum pro augenda D. Thomæ gloria assumere non valui, nisi ipsam pecuniam. Si enim Oratoris finis est *apposité dicere ad persvadendum*; profectò omni svadelâ potentior est pecuniâ; quia juxta S. Nazianzenum, *auro loquente*

In sent. *iners est omnis Oratio; persuadet enim, etiamsi nullam vocem edat.* Quapropter ut persvadeam vobis A. O. Ingentem esse D. THOMÆ præstantiã; illum conformiter ad libri Genes. Caput 23. in figura *MONETÆ PROBATÆ PUBLICÆ* proponã, valde enim grata est illa propositio

In Phœnis. in quaNumi proponuntur; quia ùtEuripides existimat, *mortalibus nihil carius est pecuniâ.* Hoc etiam Thema mihi defectuoso Rhetori subsidio erit. Quamvis enim vilis, informis, ac hiulcus futurus sim Orator, hos omnes defectus supplebit pecunia, de qua sic modulatur Musa Horatiana.

Et genus & formam Regina pecunia donat,
Et bene Nummatum decorat Svadela Venúsque.

Illoti mei oris barbarismos cooperiet aurea Æsculapij barba. Per hoc aureum argumentum lucrari conabor Amplissimi hujus Auditorij benevolentiam, si verus est ille Poëtæ versiculus.

Aurum quisquis habet superos mercatur & astra.

Argumentabor igitur in *DABITIS* illâ Menandri animatus sententiâ, *Tantùm DATO: ipsos habebis vel ministrantes DEOS.* In primis tamen O Doctor Angelice! me tibi tanquam magnũm sisto debitorem. Tribus jam vicibus ex hac cathedra perorando, obligationi meæ satisfacere conatus sum, ut debitum meum pro viribus plenè persolvam, hanc quartam Orationem, & ùt opinor ultimam, ad Gazophylacium Tuum depono, tanquam ultimum & *novissimum quadrantem.* Vobis audetem Reverendissimi Præsules, & quâcunque Ecclesiasticâ dignitate Venerabiles Auditores. D. Thomam offero tanquam *Siclum Sanctuarij.*

Leu. 27. Moneta hæc tota *Sancta est*, ideóque ad manus *Sanctas* eam depono, &

tam

tam *Sanctis* Perſonis offero, quibus licitum eſt intrare *Sancta Sanctorum*. Lev. 6.
Vobis Excellentiſſimi Regni Bohemiæ Proceres, Illuſtriſſimi Sac.
Rom: Imp. Comites. nec non quocunque Nobilitatis titulo Illuſtres
Heroës, ut veſtrum lucrer affectum, in D. Thoma præſento unum *Im-*
perialem. Thomas nummus totus *Imperialis* eſt, (quia valorem habet
ſapientiæ, quæ de ſe dicit: *per me Reges regnant & principes imperant*. Prov. 8.
Vobis Eximij, Clariſſimi Excellentiſſimi, & quicunque de prædicato
ſapientiæ vel doctrinæ participatis, ut veſtram captem Benevolenti-
am, pariter nummum Thomiſticum largior; Non ſolus vult *Galenus*
Opes, etiam reliquæ facultates, congregant opum *facultates*. Nec ſo-
la Philoſophia, ſed etiam aliæ ſcientiæ *bona* amant *media*: proinde vo-
bis antiquum nummum porrigo, in quo referente Pierio cernebatur
ſimulacrum Palladis ingenti *ſcuto* inſtructum: hoc non eſt *ſcudum* Ro-
manum, ſed *ſcutum* Monetæ Thomiſticæ, de quo cum Eccleſiaſte dici
poteſt: *ſicut protegit ſapientia, ſic protegit pecunia*. Ut autem etiam ve- Eccl. 7.
ſtram reliqui omnes A. O attrahere poſſim inclinationem, ſimiliter in-
ter vos diſtribuo Thomiſticam monetam. Fuit D. Thomas *parvus in* 1. Reg. 15.
oculis ſuis. Hanc parvam vobis dono pecuniam. Nolite hoc munus
ſpernere: etiam parva pecunia operatur magna, in parva pecunia non
parva virtus continetur, includitur enim illa de qua S. loquitur Au-
guſtinus; *non eſt parva juſtitia, quam in parva pecunia cuſtodire debe-* de Doctr.
mus. Hæc ex Gazophylacio Thomiſtico vobis obtuli omnibus hono- Chriſt. lib.
rum titulis venerandiſſimi Auditores. Si ex meis facultatibus ali- 4. c. 18.
quod donum deſideratis, Pauper Religioſus nihil offerre poſſum, niſi
hunc unicum *Album*, videlicet me ipſum offerendo tanquam *malum*
nummum, *in hac Triurbe notum*.

Plotinus (teſte Lipſio) vir ſapientiâ inclytus non dubitavit aſſerere
hominem eſſe quoddam OMNE. Si homo eſt *omne* conſequenter etiam
eſt pecunia. Suffragatur huic illationi aurifluus Chryſoſtomus dicens:
Numiſma Cæſaris aurum eſt, Numiſma DEI homo. Fuit Thomas homo In Math.
DEI, adeoque numiſma DEI. Fuit moneta publica, non in privatis c. 12. hom.
angulis, ſed in illuſtriſſima Comitum Aquinatum Domo in publicam 42.
hujus mundi lucem edita. Fuit Thomas moneta publica,
quia publico bono natus, & à DEO datus, adeoque illi attribui po-
tuit ex nummo Alexandri Pij deſumpta inſcriptio: *Spes publica*. Fuit
moneta probata & charactere Baptiſmali ſignata, de qua dici potuit il- Pier. L. 55. c. 19.
lud Auguſtini, *Moneta Chriſti homo eſt, ibi imago Chriſti, nomen Chriſti,* Ser. de nupt. filij Regis.

& effigies Christi. Fuit neo-natus infans in Baptismate appellatus THOMAS, quod nomen magno mysterio non vacat. Si enim in hoc nomine singularum litterarum occultæ significationes explicentur; hunc sensum dabunt;

THOMAS

Thesauros Hujus Orbis Moneta Aquinatis Superat.

Quantum valoris & pretij in hoc nummo contineatur ostendit illa chartula cui inscripta fuit salutata ab Angelo MARIA, illam enim parvulus Thomas avidissimo ore deglutivit. O Quantum thesaurum hic nummus parvulus interni valoris intra se habet per MARIAM, quam *hom. 6. contra Nest.* B. Cyrillus *Thesaurum pretiosum totius Orbis* appellavit. Ex hac deglutita pretiosa chartula, facile fuit ominari Thomam olim futurum nummum publicum, impetrato per illam Virginem privilegio, in cujus partu Angeli *publicârunt pacem hominibus bonæ voluntatis.* Hæc de parvulo Thoma, quo crescente etiam crevit valor hujus pecuniæ. Aspiravit Thomas *ad Perfectionem* adeóque Religiosum statum amplectendo ingressus est *viam perfectionis*, secutus est Consilium nostri Salvatoris, & ferendo crucem secutus est JESUM O quanti valoris est iste *crucifer*! O quàm dives est illa Religio quæ multos tales *cruciferos* habet. Hæc est Religio Prædicatorum, quæ juxta testimonium Alexandri IV, *gloriatur in Cruce Domini nostri JESU Christi.* In hoc sacro Prædicatorum Ordine factus est Thomas Moneta publica, quia Prædicatorum munus est Evangelium *prædicare super tecta*, id est juxta interpre- *Math. 10.* tationem Cornelij à Lapide *Palàm & publicè coram omnibus.* Præivit illis *Act. 20.* exemplo suo Prædicator Gentium Paulus Apostolus de se ità loquens: *Vos scitis quomodo nihil subtraxerim utilium quo minùs annuntiarem vobis, & docerem vos publicè & per domos.* Hic est famosus ille Judæorum mastix, qui Actor. 18. *vehementer revincebat Judæos publicè.* Hunc Antesignanum suum Patres Prædicatores secuti, plusquam in decem sacris Concilijs comparuerunt, & in facie totius Ecclesiæ contra Schismaticos & Hæreticos publicè disputârunt. In hoc sacro Prædicatorum Ordine Thomas omnes probas sustinuit, quibus Religiosus Novitius

sub-

subjacet *in anno probationis*, adeóque se esse *monetam probatam* ostendit. Sed non intellexit hujus nummi pretium mundana & sæcularis consanguineorum sapientia, qui illum à Sancto Religionis proposito abstrahere conantes de moneta *publica* penè fecerunt *privatam*, Thomam enim sacro Habitu privantes, ad latebras arctæ custodiæ retruserunt. Nihilominùs in hoc etiam statu Thomas mansit moneta publica, *quia spectaculum factus est mundo & Angelis & hominibus.* 1. Cor. 4. Clausus quidem erat abstrusæ custodiæ latebris hic Thesaurus sapientiæ, sed absurdissimum factum improbat Ecclesiasticus his verbis: *Sapientia absconsa, & Thesaurus invisus quæ utilitas in utrisque?* Eccl. 20. Thomas bono publico natus fuit, igitur tanquam moneta publica, publicæ debet utilitati inservire. In his custodiæ angustijs constitutus Thomas cum Doctore Gentium conqueri potuit *de falsis Fratribus.* Quis enim non dicat esse falsos fratres, qui falsarios agere decreverunt? 2. Cor. 11. ut enim probatissimam Thomæ monetam falsarent, vilissimum scortum submiserunt, volentes purissimum Thomæ argentum comixtione Veneris adulterare, útque hanc monetam publicam splendore castitatis privatam, ad statum gratiâ privatum deducerent: mirum dictu! adhibent *mulierem publicam.* C. inter opera x. de sponsal. O Thoma numme pretiosissime periculosissimam sustinendam habes valoris tui probam! *Pretium scorti vix est unius panis, mulier autem viri pretiosam animam capit.* Prov. 6. Substitit tamen in hac ignea proba nummus Thomisticus, & commixtionem tam vilis metalli non admisit, ostenditque se esse talem monetam quæ continet *argentum igne examinatum, probatum terræ purgatum septuplum.* Psal. 11. O quàm multi mortalium nummi hanc probam non sustinent, sed ad ignem Cupidinis positi, instar Mercurij evanescunt. In hoc tamen unico Thomas aliquantum similis fuit Mercurio (qui tam arctè custodiri non potest quin per aliquam rimam evadat) quòd per fenestram ex Castro se subducens, ex manibus fratrum tanquam *argentum vivum* elapsus sit, in qua fuga Neapolim se proripiendo repræsentavit *pecuniam currentem.* Insigniri tunc potuit hæc moneta è carceribus liberata, illâ quæ legitur in nummo Servij Galbæ inscriptione: Libertas publica. Quia verò Thomas (ut phrasi Augustiniana loquar) *accepit à DEO ingenium spiritualiter aureum;* Epist. 39. Missus est ad Parisiensem urbem, ut ab Alberto Magno huic *magnæ spei* discipulo tanquam metallo probatissimo signaculum sapientiæ imprimeretur. In hoc Scholastico Tyrocinio non fecit Thomas multum clamoris & parum valoris, non protulit multum

de sono & parum de bono, sed totus Magistro intentus Pythagoricum
servans silentium, illius dicta tacitus ruminabat. Respexerunt ad
hanc externam tam silentiosi Harpocratis signaturam Thomæ condi-
scipuli, & illum esse *bovem mutum* conclamârunt. Satis quidem te-
merarium hoc fuit judicium, sed valde quadrans ad meum propositum.
Colum. l. 6. Si enim pecunia *à pecude dicta est* eò, quod figurâ pecudis signaretur;
unde etiam Athenienses *bovis* effigiem monetæ imprimebant, nihil
omninò fuit mirum quòd silentiosus Thomæ nummus *bos mutus* fuerit
appellatus. Hinc etiam de silentio pecunijs empto exortum est pro-
Pier. verbium: *Habet bovem in lingua*, id est nummum bove signatum. O
quàm multis pecunia os obstruit, dum argenteum gregem talium bo-
um ad venalem linguam quasi ad pascua pellit. Longè majora de hoc
silentioso discipulo magnus ominabatur Albertus, qui ad intrinsecum
hujus monetæ respiciens valorem, deprehendit illum esse nummum
humani capitis effigie signatum, adeóque in hoc capite magnum reposi-
tum esse, doctrinæ Scholasticæ capitale; nam *quid sinè capite est homo?*
L. 6. Hexam. c. 9. (proclamat Ambrosius) *cùm totus in capite sit.* Correspondit huic funda-
tissimo Alberti judicio eventus, nam tantos in scientijs sublimioribus
progressus fecit Thomas, ùt Doctorali laureâ coronatus, rectè potue-
rit unus *Coronatus* vel *corona* appellari. Quanti autem valoris sit hu-
jus monetæ caput, unica *summa* ostendit, cujus rationes si in compu-
tum ducantur, continet totius Theologiæ *summam summarum.* De illa
Epist. 53. dici potest illud Senecæ: *magni artificis est clausisse totũ in exiguo.*
Similis est hæc summa nummo aureo, qui licet sit parvus mole, est ta-
men magnus valore, appellari potest *Ducatus* optimus, qui enim Tho-
mam *ducem* sequitur atteſtante Clemente Octavo, *nunquam inuenitur
à veritatis tramite deviâsse.* Hoc solo titulo constanter assevero *talen-
tum* Thomæ æquivalere talento pecuniæ. Talentum pecuniæ valet
12. millia Ducatorum, Talentum Thomæ duodecim millia Docto-
rum. Pluris æstimandus est unus Doctor Angelicus, quàm multa Au-
thorum millia. Huic nummo illud elogium Davidis competit: *Tu
2. Reg. 18. solus pro decem millibus computaris.* Verum est quod dicit Seneca: *magno
impendio temporum, magnâ alienarum aurium molestia, laudatio hæc con-
Epist. 88. stat: O! hominem litteratum.* Magnæ Authoritatis est vocari Doctorem
publicum, nonnunquam tamen etiam in publicis Cathedris publici
obrepunt errores. D. Thomas est Doctor publicus, quia in complu-
ribus Academijs Publicam Cathedram possidet. Est moneta publica,
quam

quam nullus error adulteravit, quia in suis per totum mundum publicatis libris juxta publicum testimonium Clementis VIII. *scripsit sinè omni prorsus errore.* Porrò æstimationem doctrinæ Thomisticæ antiquitas auget: etenim (ut vir patientiæ Job enuntiat) *in antiquis est sapientia.* Cap. 12. Si de antiquitatis prærogativa loquendum sit, profectò recentioribus meliora sunt. *antiquum vinum & antiqua pecunia.* Antiquum vinum sacra pagina commendat hoc oraculo: *Nemo bibens vetus statim vult novum, dicit enim vetus meliùs est.* Luc. 5. Hæc cùm sint verba Evangelij libenter idem sentio, & antiquo vino hoc Metaphysicum inscribo symbolum: R. E. U. B. A. U. quod sic explano. Res Est Valde Bona, Antiquum Vinum. Jam verò ut de *antiqua pecunia* discurram, hanc antiquitatem amant etiam *novitatum sectatores*; & quia nummi jocosa phrasi vocantur *murmurantes*, in marsupij sui claustro pluris æstimant murmurantes *seniores* quam recentes *novitios.* Si tamen alicui novitas extremè placet, ille juxta Lyrinensem ità doceat, *ut cùm dicat novè non dicat nova.* In Epist. 1. ad Tit. c. 6. Retineat antiquam pecuniam & ità illam expoliat ut acquirat novum splendorem. Non tamen imitetur *monedolam* & antiquæ sententiæ monetam furto sublatam sibi vendicet, tanquam recenter ex cerebri sui modulo prodivisset. Non fiat (inquam) *monedola*, cui referente Plinio *furacitas auri argentique præcipuè mira est.* L. 10. c. 29. O quàm copiosè monetam S. Thomæ furantur *monedolæ.* Dicet fortassis nonnemo, me fundatissimæ D. Thomæ Doctrinæ multum derogare, illam pecuniæ assimilando. *Quid enim tam incertum* (inquit Magnus Augustinus) *quam res volubilis? Nec immerito ipsa pecunia rotunda signatur, quia non stat.* In Psal. 83. Sed ignoscite A. O. In re monetaria reperiuntur etiam *nummi quadrati.* Ex illorum sorte Thomas est: *Quadratum autem omne* (asserente Venerabili Beda) *quocunque vertitur fixum stare consvevit.* Doctor Angelicus est Doctor fundatissimus, ideóq; illius nummus justè potest propter soliditatē doctrinæ unus *solidus* vocari: hoc enim elogio sententias illius exornat Alexand: VII. dum *inconcussa dogmata appellat.* Magna profectò inter pecuniam & D. Thomam est convenientia; pecùnia enim in mundo stupenda facit miracula. Pecunia cœcos Justitiæ aperit oculos, & facit munera videntes. Pecunia mutos loqui facit Secretarios. Pecunia surdas aures aperit; & facit audire preces auro armatas. Pecunia facit illos claudos ambulare, de quibus Thomas Kempensis ità loquitur: *pro modica præbenda longa via curritur, pro æterna vita vix pes semel à terra levatur.* Lib. 3. c. 3. Longè divi-

niora

ora A. O. Nummus Thomisticus patravit miracula à Sede Apostolica approbata, quia D. Thomas in Libris suis, Testimonium perhibente Joanne XXII. *quot scripsit articulos tot fecit miracula.* Sed quid opus est multis testimonijs? Hæc unica sufficit Christi in Cruce pendentis approbatio. *Bene scripsisti de me Thoma.* Quis nunc audebit dicere hanc monetam esse malam, quam *summa bonitas* approbavit? Thomas malus nummus esse non potest, quia juxta mentem S. Augustini: *qui malus est, Doctor non est: si Doctor est, malus non est.*

Lib. 12. de lib. Arb. c. 1.

Testimonium JESU suscipit & amplectitur Sacra Societas JESU. Magna est illius in Scholis Authoritas, neque potest esse moneta sophystica, quæ à JESU & illius sacris Socijs approbatur. Suscepit Thomam in Constitutionibus suis ut *Doctorem proprium*, & quomodo erit credibile eam in acceptanda moneta falli, quæ Argo oculatior Lyncæo visu malam doctrinæ pecuniam à bonâ distinguit. Agnoscit illum in decretis suis esse *Principem Theologorum*, adeóque in eo veneratur Authoritatem Principis. Traditur D. Thomæ sententia ab Eximijs Societatis Theologis in Cathedris publicis, & Conclusiones illius in publicis Auditorijs propugnantur; & consequenter illi tribuit Authoritatem publicam *Principis Theologorum*. De hoc Thomistico nummo cani potest illud Poëtæ:

Audito nummo quasi viso Principe Summo,
Dissiliunt valuæ nil auditur nisi Salve.

Salve igitur Theologorum Princeps Thoma! Te enim in nummo tuo veneror. Es moneta, es probata, adhuc semel addam es publica. Minùs pijs annumerandus forem, si Pij V. Apostolicam non venerarer Authoritatem, qua Te præcipuis Ecclesiæ Doctoribus Quintum annumeravit. Si Ecclesiæ Doctor es, & Ecclesia non possit abscondi, tanquam *Civitas in monte posita*, in loco publico publicus Doctor esse comprobaris. Et sic scopum meum attigi, quod sis moneta probata publica, cui propter eximios fructus quos Orbis Litteratus ex Tuo nummo hausit, jure merito imprimi potest ex Juliæ Mameæ Numismate hæc inscriptio: Felicitas Publica. Parce Doctor Angelice quod tanquam persona privata Te Doctorem Publicum publicè ausus sim venerari, nihil habeo publicitatis nisi quod defectus meos

Math. 5.

Pierius

meos in hac Oratione publicañdo factus ſim *publicanus*: Unde præ confuſione *non audeo oculos ad Cælum levare*, & hoc ſolùm mihi reſtat, ut percutiens pectus meum dicam: *propitius eſto mihi peccatori.* *Luc. 18.*

Ad vos finaliter mea convertitur Oratio A. O. qui oppoſitam D. Thomæ ſententiam propugnatis. Perhumaniter vobis offero aureum illius numiſma. *Magna eſt pecuniarum vis!* exclamat S. Chryſoſtomus. *Hom. 75.* Auro ſæpe expugnantur caſtella fortiſſima. Licet ergo firmiſſima exiſtimetis eſſe Doctrinæ Veſtræ propugnacula, aurô tamen poſſunt ſuperari; Unde alloquens Cadaloum Antipapam S. Petrus Damianus ait: *habens pugillum aureum frangis murum ferreum.* Non alijs vos aggrediar militibus nisì aureis, de quibus idem S. Pater ſermonem ſuum ità proſequitur: *Ducis poſt te caſtra aurô potiùs quàm ferrô armata, & ſic nummi proferuntur è loculis quaſi gladij vibrentur è thecis.* Proteſtor autem me non velle vos pecuniâ *corrumpere*, ſed *cor rumpere*, & paciſci (ſit venia peregrino verbo) vobiſcum *accordando* quod idem eſt *ac cor dando.* Non eſt alia inter Vos & D. Thomam diſcrepantia, nisì quòd dicatis NON; ille autem ITA. Sed facilè hæc difficultas diſſolvetur, quia paratâ pecuniâ ſolvetur. Accipite igitur hanc monetam probatam, publicam, & tota res per verbum *ſolvo* erit in *ſalvo*; veriſſimè enim cecinit quidam inſignis Poëta:

Album pecunia nigrum, iniquum æquum facit,
Affirmat ubi negandum, ubi ajendum negat,
Ex NON, facit denarius cùm vult ITA.

Si hoc ſtratagema mihi feliciter ſucceſſerit cum Doctiſſimo Alano exclamabo! *Nummus vincit, nummus regnat! nummus imperat!* *De conq. nat.* Quod ſi autem alicui hæc difficultas per nummum Thomiſticum non videatur ſufficienter eſſe ſoluta, & adhuc plus prætendendo conqueritur ſibi non eſſe ſatisfactum, Illi cum Evangelico Patre familias reſpondeo:

Amice non facio Tibi injuriam: Tolle quod tuum eſt, *Math. 20.*
ET VADE.



D I X I.